

Übungstext 3

Postero igitur die, quam illa erant acta, hora fere secunda, cum etiam tum in lecto Crassus esset et apud eum Sulpicius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Iulio fratre venit; quod ubi audivit, commotus Crassus surrexit omnesque admirati maiorem aliquam esse causam eorum adventus suspicati sunt. Qui cum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissime consalutassent: "quid vos tandem?" Crassus "num quidnam" inquit "novi?" "Nihil sane", inquit Catulus, "etenim vides esse ludos; sed [...] cum ad me in Tusculanum" inquit "heri vesperi venisset Caesar de Tusculano suo, dixit mihi a se Scaevolam hinc euntem esse conventum (de orat. 2,12f.).